



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Sententia iij. Rom. viij. Qui autem confirmat nos in Christum, & qui vnxit  
nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.  
lxxxiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

## SENTENTIA III. 2. Cor. 1.

Qui autem confirmat nos in Christo, & qui unxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

## PARACLESIS.

## CAPVT

LXXXIII.

Chryf. Ho  
mel. 3. in  
Epist. 2. ad  
Cor.

**M**ulta promittit Euangelium, de Resurrectione, deque Assumptione, & Immortalitate: de quibus ingentibus illis premiis, & bonis illis ineffabilibus. Haec igitur promissiones ait immobiles consistere. Ne quid igitur metuas: non enim homo est, ut tibi suspectus esse possit: sed Deus est, qui & dicit & praestat. Qui enim iam unxit nos, deditque Spiritum in cordibus nostris: qui consentaneum est, ut non det que restant in posterum? Et si hoc dedit, cum inimici essemus, multo magis illa reconciliatis & in amicitiam receptis largietur: eoque non simpliciter dixit Spiritum, sed pignus appellauit: ut ex hoc de ceteris omnibus fiduciam concipias. Non enim nisi totum daturus erat, voluisset arrabonem exhibere ac perdere: idque frustra ac sine causa. Signauit ergo nos Deus dando Spiritum suum nobis pignus, ut non ambigamus de promissis eius.

## SENTENTIA IIII. Ephes. 1.

In Christo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.

## CAPVT

LXXXV.

Ambros. in  
Epist. ad  
Ephesios.

## PARACLESIS.

**L**aus gloriae Dei est, cum multi acquiruntur ad fidem: sicut gloria medici est, si multos curet. Ideoque ad gloriam Dei pertinet, quia gentes vocauit, ut salutem suam me-